



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

iudicio agas. Nam sequitur, Sit primum &c.

Belial]. i. absq; iugo, hoc est inobediētes uerbo dei.

Quare solcite. Hec lex docet nō temere iudicandū nisi caussa diligenter cognita. Sic & dominus descendit sepe in Gen. ad uidendū &c. qui tamen oīa nouit, ne etiā tu iudex subito, proferas sententiā in re tibi solū cognita &c. Omnia iubet cōburi ut ne memoria quidē impietatis supersit, facile enim carnales ad idololatriam cōmouentur monumentis impietatis. Vide quæ supra in fine ca. 7. diximus.

Non ædificabitur.

Lex est nō prophetia, sicut legis Iosue. 6. de Hiericho, quæ red. ædificata est. 3. Reg. 16.

CAPVT XIII.

Hoc caput à ritu & uictu gentium populū dei secernit, & in fine rursus de decimis, primogenitis & primitijs præscribit.

Primū dicit, Filij estis dei. Idcirco nō debetis gentiū superstitionibus cōtaminari. Gentilis autē superstitio est quicquid quasi sacrū absq; dei uerbo fit. Vnde Paulus ait, Eph. 5. Estote imitatores dei sicut filij charissimi. Et. 1. Tess. 4. Vult ne ducamur sicut gentes quæ ignorant deū. Deinde, Gentes Aegyptiæ lacerabant manus uel faciem, defunctis amicis, sicut & de prophetis Baal dolētibus q; non exaudirētur, legis. 3.

Reg. 18. Præterea faciebant caluitium inter oculos, ut ex Heb. legitur, id est, radebant supercilia. Atq; ista habebant signa luctus. Prohibet igitur dominus ne deturpēt se dei creaturam, ne gentibus similes sint &c. quæ exponit Paulus. 1. Tessa. 4. Nolumus uos ignorare de dormientibus &c.

Quoniã populus sanctus &c.

Id est, domino es cōsecratus, quod idem significat quod ante dixit, Filij estis &c. qui credunt uerbis dei, filij sunt & populus deo sanctus &c.

Te elegit] supra cap. 10.

Ne comedatis &c.

Vulgare est in lege de cibis mundis & immūdis, quin & ante legem Moysi latã munda & immunda erant, quæ lex q̄ infixæ fuerit animis Iudæorum testis sit uel historia Petri, Act. 10. Voluit autē deus hoc uictu secernere populum suum à gentibus, unde factum est ut cōmune uocatum sit immundū quo omnes gentes uescerentur non Iudæi, mundū uero quo solo licebat uesci Iudæis. Recte autē mundum uocatur quo uteris secundū uerbum dei, immundū quod uerbū dei prohibet. Itaq; omnis quidem creatura dei bona est modo non contra uerbum dei utaris. Hic enim abusu est mala, sicut Adæ pomum, ut uideas & in paradiso mundorū & immundorū fuisse legem. Præterea isto uictu uoluit exerceri & tentari fidem illorum si forte quandoq;

uersarentur inter gentes, non minus quā nos tentamur hodie propter eucharistiæ sacramentū, quo quisquis secundū uerbum Christi uti uoluerit hæreticus dānatur &c. Gentes enim non ferebant discretum uictū Iudeorum, ut uides in Daniele. Item in septem fratribus Machabæis, qui non minus gloriose corā deo defuncti sunt persecutoris manu q̄ si nos propter nostra sacramēta, imò propter dei uerbum moriamur. Caro hoc stultum putat, sed dei ueritas manet &c. Sunt qui putant deum hac lege uoluisse consulere sanitati corporum, id quod tamen in omnibus prohibitis nō uidetur, sed satis clarum est ex textu hunc uictum ad sanctitatem non ad sanitatem corporum pertinuisse. Ad sanctitatem inquā non propter creaturā, quod esset impium, sed propter dei uerbum. Sicut sanctum fuisset Adæ abstinuisse à pomo qd' proculdubio erat creatura bona.

Allegoria.

Quia uero dominus deus non solum uerbis, sed & factis docuit illum populum, non contemnendum, est q̄ hanc legem iudicat ad sanctitatem populi pertinere.

Primū constat cibum in scriptura esse uerbum siue doctrinam. Mundus cibus est merum uerbū dei quod nō pōt esse nisi ipsissima ueritas, de quo cibo supra cap. 8.

Immundus, uerbum humanū quod necesse est esse mēdax, nā ex opinione uenit & animali homine qui non percipit ea quæ dei sunt, & omnis homo mēdax. Pro

mundus

Cibus

Immundus

mittit in hoc uerbo salutē, sicut & deus in suo uerbo, sed manet deus uerax, homo mendax. Verbum humanum dulcius uidetur sapere carni q̄ uerbum dei, sicut melius iudicabatur pomum uetitum cæteris, sed cæte persuasione diabolica, De quo immūdo cibo & uerbo humano dictum cap. superiore. Si ergo uerbum dei ederis & tibi incorporaueris, mundus es per fidem. si uerbum hominū in re salutis, immūdus es per infidelitatē. Vult ita te deus mundū esse per fidē uerbi sui, dum iubet sola mūda edi. Talis enim es qualē cibum tibi incorporaueris, id est, uel sanus uel insanus. Idcirco istam mundiciem & immūdiciem quæ de cibis tuis dicuntur de te dici non dubitato. Tu uel mūdus es si de uel immūdus infidelitate &c. Id quod clare uides in historia, Act. 10. ubi deus ostendit Petro per oblatos in uisione cibos etiam gentes edendas. Animal ergo quod ruminat & simul unguam findit mundum est. Ruminant qui uerbum susceptum meditantur iugiter. Diuisos uero pedes habent, id est, discretionem iudicij ut norint quod uerbum suscipiant ruminādum. Probate, inquit, spiritus num ex deo sint. Alterū sine altero condemnat lex. Pisces quoq; nisi pennulas habeant & squamas immundi sunt. Sunt autem qui eleuantur uerbo & assurgunt ad spiritum, item, qui non suscipiunt uerbum demergens & uexans conscientias, sed quod dei est erigens & liberans, sursumq; ata

tollens. Nec uult deus sine squamis uerbum uel hominem, id est, lubricū quod teneri non possit. Sunt enim qui ad tempus credunt &c. Hic rursum alterum sine altero nihil est, ne sit uerbū tenax sine pennis, aut pennatum sine squamis. Ex auibus quicquid rapax est & coruini generis & noctis amans, & in terris nidificans & repens, id est frustra pennas habens, nō uult edi. Videntur enim multi uerbum dei habere & uolare sed sua etiam in uerbo querunt, ideo ea tantū producunt & suscipiunt quæ ipsorum uidentur cupiditati seruire. Item, alij libenter quidem uidentur audire uerbum & uolare, sed noctis sunt amantes, non deserunt quæ uerbum non sustinet. Alij uolant quidē etiam in die, sed in terra nidificant, uel alas habere uidentur, sed tamen repunt in terra. Hi sunt hypocritæ & qui innituntur suæ prudētiae & iustitiæ, Sancti uidentur, sed non sapiunt nisi terrena, nisi animale sapientiam &c. Verbum non habēt ut uel in altis manent, uel in altum erigantur &c.

Tragelaphus, latine hircocerus, species cerui est.
 Pygargus, caprea syluestris filis Damæ. Plinius aliter.
 Oryx, ex caprarum genere est.
 Camelopardus est capite Camelo similis.
 Chirogrillus uel Chirogylius est erinaceus.
 Ixion, græce ἰκτινος, miluus est.
 Halcyetus, falco est.

Larus, latine fulica, duher.

Accipiter, Hauick. Herodius, Reyer.

Porphyrus est pellicanus.

Nycticorax, Schuffüth Saxonibus dicitur. Alijs, Vhu.

Onocratalus, Rordomel.

Caradrius, Triuith puto &c. In terra nidificat:

Quicquid autē morticinum.

Quod mortis est ne tangito, ne dicam non edito. Verbum uitae uult. Et corrumpunt bonos mores colloquia

Peregrino.] Iniusta lex uidetur carni, sed (praua pro gentibus scripta est non contra gentes. Significabatur enim gentes ut non tenebatur ista lege, ita quoque ad externas leges olim non cogendas &c.

Non coques.

In lacte matris, id est, dū adhuc sugit. Ridet caro legem dum deus non solum hominibus, sed etiā iumentis & brutis consulere uidetur sua lege, sicut & illic. Non alligabis os boui trituranti. Nunquid, ait Paulus, 1. Cor. 9. de bobus cura est deo? an propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt, oues & boues non legunt scripturam. Dum igitur consulit brutis sicut & de sabbato diximus nobis consulit nosque erudit. Qui non uult fraudari suo cibo bouem triturantem, non uult quoque fraudari mercenarium operis tui, ut uidebis in lege, multo minus operariū & doctorem uerbi sui. Illud ergo docet quid predicari debeat,

hoc quod de Hedo dicitur, quid prædicator tibi, imò etiam quid tu tibi. Primum hedus nutritur quidem ad mortem, sed dum adhuc fugit coqui non debet cum matris certe dolore & sine hedi usu. Secundū qui surgunt sunt adhuc infirmi qui non possunt adhuc intelligere omnia, aut fortiter stare in eo quod credunt, & qui adhuc multæ obnoxij sunt fragilitati. 1. Co. 3. Tertium, Mactantur & eduntur, qui uerbo iudicantur, & conuertuntur in mēbra nostra quorū caput Christus, ut uides ex uisione Petri. Quartum, Hæc mactatio & comestio est mortificatio illius quod est Adæ & transplantatio in Christū. Hæc nō subito fiunt, sed per totā uitam nostram baptizat spiritus in mortem & uiuificat in Christum. Quintū, Hæc igitur lex est, ut à paruulis in Christo perfectionem non exigas, nisi uelis eū cum dolore matris ecclesiæ occidere, id est, in desperationem adigere, expecta donec grandescat, donec mater secunda reddatur sui filij. Sic Christus portauit suos discipulos, sic Paulus suos Corinthios. Lacte nutriēdi sunt donec ad usum apti reddantur. Quod contra faciunt qui à summo ædificare incipiunt &c. Sextum. Hæc lex præsumptionem illorū mortificat qui se offerunt ad Euangelium prædicandū, & ad moriendum pro Christo nulla necessitate, quasi iam perfecti sint, cū tamen parum habere fidei ipsa tentatio post declarat, Hos necesse est cadere ut Petrum. Non debemus nos

stra præsumptiōe inijcere nos in pericula, sed semper metuere nostræ fragilitati. Deus cum uoluerit, uocabit & dabit occasionem, & simul fortitudinē. Dominus dabit uerbum Euangelizantibus uirtute multa.

Decimā. De hac dispensatione, cū longior uia fuerit, diximus supra ca. 12. Verū quod hic & ibi dicitur de decimis & primogenitis cū familia edendis in loco à deo electo, nisi intelligas esum aliorū quæ cum decimis & primogenitis ad epulas instruendas attulerunt, secundū illud infra ca. 16. Oblationē spontaneā manus tuæ &c. Id est, non præceptā lege, sicut erant præceptæ decimæ & primogenita quæ erant sacerdotū & leuitarum. Et ibidem, Non apparebit ante dominū uacuus sed offeret &c. Et apertius. 26. Et dimittes cas &c. Nisi, inquam, sic intelligas, non cōueniet cū lege Moysi, quā sepe legis de primitijs & decimis & primogenitis. Verum istud nobis significauit spiritus dei, non sic offerenda quæ præcepta sunt, ut non offeras spontaneas quoq; oblationes, sine quibus quæ lege præcipiūtur nō sunt accepta deo. Hinc est quod psal. dixit, Voluntarie sacrificabo tibi &c. Et psal. 109. populi spontanei, Christiani uocantur.

Anno tertio. Hac lege charitatis cōsultitur omnibus indigentibus uictu, & consulitur sine nostro dispendio, nō enim hic sentimus aliquid decedere nobis, & insuper benedictio dei nobis promittitur si ita face

rimus. Facillime consuleretur pauperibus qui habitāt nobiscū, si quisq; singulis annis decimā bonorū apud se reponeret hic multum iuuaret & nihil sentiret sibi decedere, quid si in super tertio anno alteram reponeret decimam. Possent & ex his tributa solui principibus. Verum Christianis nihil hic præscribendū est qui semp sua oīa & se Christo debēt. Quā tamē uile foret ista prudentia inchoare quis nō uidet ex ista lege dei?

Ut benedicat, Id est, ut multiplicet & ditet te in oībus operibus tuis. Ex quo præter istam promissionem, & hoc clare uides, omnia opera manūū tuarum in quærēdo uictu, ut alia taceam, frustra fieri sine dei benedictione.

CAPVT XV.



Septimus dies, septimus annus, & septies septimus annus, id est quinquagesimus, erant deo sacri, ut agnoscas quare perfectionis numerus aut saltem multiplicatis sit septenarius nūerus in scripturis, ut illud, Septies in die laudem dixi tibi. Item, Eloquia tua argentū &c. Item, Septies cadet iustus &c. Item, Assumit septem alios spiritus nequiores se. Tria ergo sunt sabbata septenarij numeri. Primū, Sabbatum dierum quādo in singulis septimanis cessabatur ab opere eterno seruii die septimo. Secundū, Sabbatū annorū,

Tria sabbata
7 → 25 → 11